

78 N 14 [11]

OPTIME MERITVM
HONORIS
MONVMENTVM
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
DOCTISSIMO DOMINO
DOMINO
M. ERDMANNO
UHSE O,

GYMNASII MERSEBURGENSIS PER XIX. ANNOS
ET QVOD EXCVRRIT, RECTORI
MERITISSIMO

DIE V. SEPT. HVJVS CIVD CCXXX.
IN CHRISTO BEATE DEFVNCTO,

PONIT,
ET SIMVL ÆSTIMATISSIMÆ
ET MOESTISSIMÆ FAMILIÆ

DOLOREM ET OBSEQVIVM SVVM
DECLARAT

COLLEGIVM SCHOLASTICVM.

MARTISBURGI, Typis Gottschuckianis,



Kapsel 78 N. 14 [11]

AK



Os homines miseri non raro vota fovemus,
 Quæ mentem ludunt, vanaque corda
 ferunt.
 Dum votis nostris eventum fata recusant,
 Quid votis nostris vanius esse potest?
 Dum vacuas nostræ spes abripiuntur in auras,
 In manibus cupidis fumus & umbra manet.
 Qui fit? supremus moderator & arbiter orbis
 Humanas aliter res agitare solet.
 Gaudia quæ nobis redolent summamque salutem,
 Ille sciens melius, reiicienda putat:
 Quæ contra nostris animis censentur amara,
 Ille suis animis commoda cuncta facit.
 Te trahit invitum, quò non vis, rector olympi:
 Quò properas avidus, non patet ulla via.
 Sancta etiamque piæ non raro intentio mentis,
 Supremo Domino res aliena fuit.
 O UHSÆE, tuis tua mors tot vulnera fixit,
 Quod tua virtutes vita caduca dedit.
 Tu nobis præeras, tua nobis sedula cura
 Invigilabat: eras sacra corona scholæ.

Docto.



D. 11. 1885 Leipzig

Doctorum superat mentes industria cunctas,
 A qua te poterat vertere nulla lues.
 In iuvenum studiis te promptum noxque diesque
 Versabat; tibi erant hic labor, hæcce quies.
 Imo vix potuit mors extorquere laborem,
 (O invicte heros,) ipsa tenace manu.
 Scripta fidem faciunt certam, varia arte referta,
 Quis fueris? Validus noscitur ungue leo.
 Quis neget, hisce scholæ te maxima lucra dedisse?
 Hinc desiderium pectora nostra ferit.
 At verò credas hæc maxima damna fuisse:
 Illucens aliis Lychnus abire studes.
 Muneris officio qui multa docere iubetur?
 Cogitur officio noxia multa pati. (*)
 Vita bonum miserum est, nilni sentina malorum.
 Ullius hic quæ spes utilitatis erit?
 Atque bonum vitæ summum mors omnia solvens.
 Qui moritur nascens, desinit esse miser.
 Circulus est vitæ, quo fessi currimus, ingens:
 Ad requiem centri morte venire licet.
 Carcer erat statio, qua te tua vita locavit;
 Pistrinum durum, quod sine fine premit.
 Carcere iam liber, valde collega Beate,
 Nostro pistrino num rediisse cupis?
 Sisyphiam verò nos nisu volvere molem
 Pergimus; o quando finis habebit eam.
 Hoc etiam nobis Deus autumat utile, quod Te,
 Discimus amisso, noscere nostra Bona.
 Peior avis ætas maiorum nos leviores
 Protulit, & nos mox deteriora damus.

Et

(*) Eccles. c. i. v. 18.

Et tamen, o cæcæ mentes, præsentia dona,
 Quæ Deus accumulât, nausea nostra fugit;
 Inque novis requiem quærit vanamque salutem,
 Quæ cunctis horis degenerare solent.
 Nugas quisque suas peragit, sed fronte severa
 Hic magis; ast illum Musa iocosa trahit.
 Coniugis atque patris lethum sed inutile censent.
 Nam victum largum prospicit ille suis.
 Discipuli Christi præsentis gaudia captant;
 Utile se verò Christus abire docet.
 Christo abeunte, redit cœlestis spiritus eius:
 Corpore sublatus nil nisi Christus adest.
 Cui Pater aut Coniux erepti morte videntur,
 Huic vult deserto proximus esse Deus.
 Nam bona mortales cæci præsentia adorant.
 Atque Deum fabricant, qui Deus esse nequit.
 Cum Deus ex oculis oculos ferientia tollit,
 In nostro remanet nil nisi corde Deus.
 Hic fit confugium, portus, solatia, futor
 Uxori tristi, filioloque pio.
 Hic quoque Gymnasium nostrum tueatur aperte;
 Ulterius faveat muneribusque suis.



78 N 14 [77]

OPTIME MERITVM
HONORIS
MONVMENTVM
VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
DOCTISSIMO DOMINO

DOMINO
DMANNO
HSEO,

EBVURGENSIS PER XIX. ANNOS
EXCVRRIT, RECTORI
MERITISSIMO

T. HVJVS CIVIS CCXXX.
TO BEATE DEFVNCTO,

PONIT,
MVL ÆSTIMATISSIMÆ
ESTISSIMÆ FAMILIÆ
EM ET OBSEQVIVM SVVM
DECLARAT

IVM SCHOLASTICVM.

ISBVRGI, Typis Gottchickianis,



Wapfel 78 N. 14 [11]

AK

